



*G. A. 24*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*PF-37*

SIGNAT. *cis 15 CCCXIII.*

35

DEO DUCE,  
INSTITUTIONUM PHILOSOPHICARUM  
Exercitatio IV.

EX PARTE GENERALI METAPHYSICÆ  
**CONCEPTVM ENTIS,**  
& hujus Oppositum, NON-ENS  
explicans.

*Quam* d. f. III. 1572  
In Celeberrimâ Bregelanâ  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI CLARISSIMI & EXCELLENTISSIMI  
Dn. M. MICHAELIS EIFLERI  
Logicæ Professoris Ordinarii, & Alum-  
norum Electoralium Inspectoris, Præceptoris  
ac Promotoris æternùm colendi

RESPONDENS

S A M U E L C Z E R N A C K  
*Bobotensis Ungarus*

In Acroaterio Majori Veteris Collegij  
publicè ventilandam ad d. 30. April. horis  
matutinis proponit.

---

REGIOMONTI,  
Typis JOHANNIS REUSNERI,  
Anno M. DC. XLI.

*Rtdo Dno Johanni Lockmanno, Pesti. Testohysch.*

**E R G A V I R O S**

*Generosissimos, Nobilissimos, maximeq; Strenuos, Patriæ Patres celeberrimos,*

**Dn. STEPHANUM ASGUTHI**, D. Dubravica, Vice - Comitem Comitatus Zoliensis dignissimum, Nutricium ac Mœcenatem perpetuò honorandum, Dnm. gratiosissimum.

**Dn. STEPHANVM SOOS**, D. Polthar, Dnm in Garambszeg, Equitem auratum, Sac. Cæs. Regiæq; Maj. Aulæ Familiarem, Fautorem & Patronum multis nominibus colendum.

**Dn. DANIELEM BERKIU M**, Sedis Nobilitariae quæ Veterosolii est Assessorem meritissimum, Promotorem venerandum.

**U t E t**

*Reverendos, Nobiliſ. Clarishmos,*

**Dn. JOHANNEM PINNERIUM**, Ecclesiæ Germanorum, quæ Novisolii Montanorum est, Pastorem fidelissimum, ut & Scholæ ibidem Inspectorem, vigilantissimum, Promotorem æternū suspiciendum.

**Dn. SAMUELEM BARTHOSOVITZ**, in Ecclesiâ Slavorum Novisolii Montanorum, Verbi Divini Ministrum primarium, Evergetam, Fautorem, Patrem, filiali devotione suspiciendum.

**Dn. GABRIELEM PISCATOREM**, Ecclesiæ Lipschensis Pastorem dignissimum, Venerabilis Contubernii, quod Veterosolii Ungarorum est, Seniorum meritissimum, Fautorem benevolum.

*Hicce primitiis studiorum Academicorum, Publico animi devoti argomento, gratitudinem suam rupiñs ēvena testatur*

**SAMUEL CZERNACK Respondens.**

## De ENTE quoad Conceptum.

## CAP. I. De Conceptū Entis Varietate.

Entis Conceptus Realis est tum Actualis; partim Objectivus, partim Formalis: tum Potentialis.

## EXPLICATIO.

§. 1. Ad exactiorem Entis notitiam, pleniorēq; contemplationem definitivam cura *Conceptus* non parūm confert: quippe nil à nobis intelligitur sine conceptu; sed oportet ut cognoscibile sese sistat menti nostræ, per certam ideam, quā mediante conjungitur intellectus cum objecto. Suntq; duo cum primis circa Conceptum Entis advertenda; *Varietas*, & *Proprietas* ejus.

§. 2. Ac initio quidem ad varietatem respiciendo; *Conceptus Entis* est vel *Medius*, & ipsius vocis: vel *Ultimus*, & rei per vocem significatæ. Quam distributionem annotamus propter eos, qui cum Ferrariense i. contra Gent. c. 34. statuunt, Conceptum Entis quoad nomen quidem unum esse, sed non quoad rem nomine designatam. Ejusq; veri-

tas inde patet, quod etiam in particulari conceptus quid nominis à conceptu quid rei distinguatur. Ille *medius* salutatur, quod qv. medium, ad aliud, nempe rem ipsam, ducat: hic *ultimus*, quod in eo mens acquiescat, nec ulterius eum ad aliud cognoscendum dirigat.

§. 3. Porro *Conceptus Ultimus* est vel *absolutus*, quō simpliciter Ens secundūm se repræsentatur: vel *connotativus*, quō cōplicatur in totali ratione passionum transcendentium, v. gr. quat. Ens ut individuum in se, dicitur Unum; ut expers defectus eorum quæ requiruntur ad ipsum, Perfectum audit. Nam ut affections entis sint positivæ, necessariò connotant & implicant entitatem, cùm ipsæ secundūm id quod enti superaddunt, non

K

non sint aliquid positivum, ne summa simplicitas Entis labefactetur. Verum conceptus connotatus non est praesentis instituti; consideramus enim hic Ens uti Modis suis contradistinguitur.

*S. 4. Insuper Conceptus Entis Absolutus* est vel actualis, vel potentialis. *Actualis* est, qui convenit Enti prout ab inferioribus quodammodo distinguatur, & citra respectum ad contractionem attenditur. *Potentialis*, qui debetur Enti, secundum quod ad inferiora sua contrahitur. Nam ut alias Universalia partim penes id quod in sua ratione formaliter tantum includunt, ut totum actuale; partim secundum quod inferiora suo modo continent, ceu totum potentiale, spectari possunt: sic etiam Ens, & rationem suam ab inferioribus praecisam habet; & haec potestate quadam cohiber. Unde conceptus ejus actualis & potentialis.

*S. 5. Entis Conceptus Actualis* est vel *Objectivus*, vel *Formalis*. Nam ut quodvis objectum scientiae particularis duplum statum experitur, unum absolutum & intrinsecum,

quem secundum se tener; alterum respectivum & extrinsecum, quem per ordinem ad intellectum, illud cognoscet, subit: sic & Ens, objectum scientiae generalis, utrumque sortitur. Quippe spectatur & juxta rationem quam in se possidet, ac ut in naturis determinatis radicatum, ad cognoscendum intellectui nondum objectum: & prout in esse cognito mentem nostram actu respicit, ac in ejus prospectu sistitur. Idque sub habitudine tum moventis intellectum ad sui cognitionem: tum terminantis eundem in cognitione. Quocirca duplum conceptum agnoscit; alterum Objectivum, alterum Formalem.

*S. 6. Entis Conceptus Objectivus* est ipsum Ens, quatenus intellectum nostrum mover; eidemque per sui speciem representatur ad cognoscendum. *Ipsum Ens*, inquam; adeoque non hoc aut illud particulare, sed quod a conditionibus individuantibus, intellectus agentis beneficium vindicatum, in omnibus atque singulis particularibus intime concluditur. Et vocatur (1) *Conceptus non*

non secundūm intrinsecam rationem; sic enim non est verē conceptus, sed ratio concepta: verūm quoad *extrinsecam denominationem*, à conceptu formalī, quatenus hunc in intellectu possibili productum causatur; & actum intellectūs formaliter concipientem, ac in se tendentem, terminat. (2) *Objectivū*; quia præ se fert rationem materiæ, circa quam conceptio formalis versatur, & ad quam intellectus directè tendit. Hinc etiam *intentio passiva* salutatur.

§. 7. *Entis Conceptus Formalis* est species intelligibilis, per quam ipsum idealiter ad cognoscendum intellectui præsens est. Alii cum Fonseca l. 4. Met. c. 2. q. 2. s. 1. dicunt, esse similitudinem actualēm, quam intellectus sibi format de Ente cognoscendo. Sicq; contradistinguunt Conceptum Speciei, quæ tanquam habitualis similitudo sit in intellectu. Vocatur autem (1) *Conceptus*; per *intrinsecam attributionem*: quia veluti proles intellectūs est, in qua concipiendā formandaq; sese mens exerit. Nam ut ex congressu maris & sc̄eminæ concipitur

fœtus in utero: sic ex concursum rei cognoscendæ, per speciem impressam, cum intellectu, concipit intellectus in se qv. sobolē, quæ dicitur species expressa, quā tanquam imagine repræsentatur objectum, quod cum intellectu secundū se conjungi non potest. (2) *Formalis*; quia formalis terminus conceptiū mentalis existit; estq; forma quædam inhærens intellectui, per modum qualitatis, quā formatur, & exornatur; Ens sub ea forma, secundūm quam intelligitur, repræsentans. Hinc etiam appellatur *intentio activa*, quod per ipsum, ceu medium, intellectus cognitionem *Entis* intendat. Item *vημα*; *verbum mentis*; *idea*; *formalis rei ratio*: puta non realiter, sed intentionaliter.

§. 8. Quanquam autem hīc potissimum intendamus Conceptum Objectivum *Entis* ut sic, tanquam subjecti primæ Philosophiæ; tamen propter difficultatem ejus, *Formalis*, ceu nobis notior, non omnino negligendus est. Et quidem Utriusq; porrò notanda venit, tum diversitas, tum varietas. Diversitas quidem inter Conceptum *Entis Objectivum* & *Formalem*

malem non tantum in eo consistit, quod objectivus ita solum denominetur propter habitudinem ad conceptum formalem; qui secundum internam rationem conceptus est: verum etiam in eo, quod *Objectivus* vere sit *Transcendens*; est enim ipsum Ens in ultima præcisione, quatenus ad cognoscendum objicitur intellectui: Formalis autem, *qualitas singularis*, inhærens intellectui concipientis subjectivè; quemadmodum omnes alii conceptus formales quarumcunq; rerum.

*s. 9. Quoad Varietatem* verò, distinguit Fonseca cit. loc. s. 3. Conceptum Entis, & Formalem & Objectivum, in omnino distinctum, quō determinatè repræsententur omnes entitates simplices, quas Ens immediate significat: & omnino confusum, quō simplices entitates ac differentiā contrahente non compositæ, solum indeterminate repræsententur: & *medium*, qui partim distinctus, partim confusus sit, quō repræsentetur una particularis entitas expressè, nempe substantia; cæteræ tantum implicitè, quatenus o-

mnes cum substantia proportione quadam conveniunt. Verum rectè divisionē hanc impugnat Svarez D. 2. s. 1. n. 4. seqq. Quippe distinctionem & confusionem debemus secundum idem attendere; Fonseca verò sumit distinctam cognitionem secundum particulares rationes, quæ prout tales Entia non vocantur. Hic ergo præcisè sistendum est in Ente quā sic; & ita conceptus ejus, qui rationem entitativam in se spectatam distinctè representat, semper confusus est & indeterminatus respectu particularium entium, ut talia sunt. Neq; Conceptus *Medius*, qui partim distinctus, partim confusus sit, consistere potest. Nam conceptus Substantiæ longè distat ab Entis conceptu; quoniam ille solius est substantiæ, quam formaliter repræsentat secundum propriam rationem ejus, nec accidenti communicatur: hic vero communiter & indifferenter habet ad substantiam & accidentem. Nec etiam unius analogi conceptus involvit conceptum alterius; sunt enim secundum rationem suam divisa: proindeq; nec conceptus substantia.

substantiæ cohercabit acci-  
dens. Imò quanquam acci-  
dēs dicat habitudinem ad sub-  
stantiā, tamen conceptus sub-  
stantiæ nequaquam hanc habitudi-  
dinē repræsentat, quippe datur  
substantia quæ nullum accidēs  
admittit. Conferatur Suarez  
**D. 2. s. i. n. 4. seqq.**

**C. 10.** Sic verò Conceptus Entis Objectivus & Forma-  
lis exurgit; cùm intellectus  
noster, quicquid ex parte rei  
datur, & revera dari potest, in-  
tuetur, atq; non solùm propri-  
etates individuantes, verùm  
etiam quamcunq; rationem  
dissidentem, ab omnibus atq;  
singulis cogitatione dimitten-

do, tandem id solùm attendit  
in quo quæcunq; sunt, aut sal-  
tem esse possunt, intime con-  
spirant, sibiq; realiter similia  
sunt, advertit ipsum E S S E,  
quòd omnia quasi combibe-  
runt: illud movet intellectum  
agentem, ut apprehendat  
ipsum, & in intellectu paciente  
speciem expressam efformet,  
quà corā mente repræsentetur  
illud E S S E communissimum.  
Atq; sic, quod penes statum  
objectivum fundamentalem,  
in individuis diffusum ac in in-  
finitum ferè dispersum erat,  
debitam unitatem ac commu-  
nitatem nanciscitur. Verùm  
hæc plenius alibi proponētur.

## CAP. II. De Concept° Entis Proprietate.

Proprietates Conceptū Entis sunt in primis  
Unitas, Præcisio, Simplicitas, & Analogia.

### EXPLICATIO.

**§. 1.** Tres priores concer-  
nunt Conceptum Actualem;  
ultima, Potentiale. Et qui-  
dein I. quoad Unitatem;  
tres circa Conceptum Entis  
sententiæ celebres occurunt;  
Ia detrahit Unitatem conce-  
ptui, tam formalī, quam obje-

ctivo; cui cum vetustioribus  
Thomistis ex recētioribus ad-  
stipulantur Cajetanus, Ruvio,  
Zanardus, aliiq;. IIa conce-  
dit unitatē cōceptū formalis,  
& negat unitatē objectivi; cui  
favent Hervæus, Flandria,  
Soncinas, & alii. IIIa statuit  
K 3 utrumq;

utrumq; conceptum, & obje-  
ctivum & formalem, Unum  
esse; quam cum Scotistis Sva-  
rez & alii pleriq, defendunt:  
nec à veritate forsitan abludit.  
**A**c ut eð rectius intelligatur,  
prænotamus; *Unitatem Conceptus*  
esse passionem, quâ ratio  
quidditativa præcise sumpta  
se non multiplicata, sed indi-  
visa sicut. **E**sťq; vel *Rationū*,  
quâ quidditas longè diffusa,  
multisq; particularibus com-  
municata, tantum intellectus  
operâ formaliter indivisa con-  
stituitur: vel *Rei*, quâ quiddi-  
tas ex parte sui divisionem in  
se nescit, & divisionem ab aliis  
sustinet. **Q**uô supposito sint  
Assertiones:

**§. 2. I.** *Entis Conceptus Objectivus est Unus.* Patet, i. ex conceptus formalis qualitate. Nā datur unus conceptus formalis; uti postea constabit. Ergo datur etiam ejusdem unus conceptus objectivus: quia Formalis, si verus sit, conformatur objectivo; nam prout objectum cognitum est in se, sic etiam movet, & terminat potentiam cognoscentem: quæ conceptum formalem parit, cœumedium apprehensivum conceptus objectivi, quō sit intellectus.

**E**tio. Quemadmodum igitur alias unitas imaginis ex unitate rei repræsentatæ pendet, sic etiam unitas conceptus forma-  
lis, tanquam imaginis spirita-  
lis, ex unitate conceptus obje-  
ctivi, tanquam exemplaris, na-  
scitur. II. ex *Essendi rerum omnium communitate.* Nam quodlibet Ens reale positivum in particulari reverâ convenientiam intrinsecam habet cum aliis in essendo. Quippe mi-  
nus distat ens & ens, quam ens & non-ens. Possunt E. sub præcisa ratione quâ conveniunt inter se res omnes cognosci; proindeq; conceptu quodam communi repræsentari.

**§. 3. II.** *Entis Conceptus Objectivus est Unus Ratione.* Pa-  
tet; Ens penes statum objectivum idealem non est singula-  
re, sed universale: puta, Sub-  
jectum scientiæ communissimæ. Jam Universalia sunt  
formaliter ab intellectu, per actum ejus comparativum, &  
præcisivum. Quapropter &  
Unitas eorundem universalis est, indeq; per operationem intellectus orta; quam non nulli fundamentalem appellant,  
cō quod universalia ratione fundamenti sint in rebus, ab intellectu.

intellectu ratione comple-  
menti.

§. 4. III. *Entis Conceptus Formalis est Unus.* Patet, i. *rati-  
one;* nam datur unus conce-  
ptus objectivus Entis: igitur  
& unus formalis; quò confor-  
mis existat objecto, tanquam  
signum formale signato suo.  
Quippe conceptus formalis  
habet totam rationem & uni-  
tatem suam ab objecto, quod  
aliquam Unitatem præsuppo-  
nit, si conceptus formalis unus  
est: quia conceptus objectivus  
nihil aliud est quam objectum  
cognitum per conceptum for-  
malem. ii. *experienciam;* nec  
enim cùm audimus Ens nomi-  
nari, mens nostra distrahitur  
in plures conceptus, neq; plu-  
res naturas aut quidditates ex-  
pressiones in prospectu sibi si-  
stit, sed potius ad unam simili-  
tudinem & conceptum repræ-  
sentativum Entis ut sic, colli-  
gitur, nihil de rationibus par-  
ticularibus entis cogitando:  
non secus atq; cùm substanti-  
am, corpus, animal, hominem,  
audit appellari, propriam ho-  
rundem ideam efformat.

§. 5. Neq; Conceptus  
hic unus tantum *nominis* est.  
Nam omnis conceptus est pri-

or voce. Vocem ergo conce-  
ptus quasi parit, ut ejus admi-  
niculò foras prodeat, aliisq;  
notificetur, ac insinuetur. Imò  
quoniam Ens, ut vox, unum  
est, & materialiter, spectando  
sonum, & formaliter, atten-  
dendo significatum, & hoc ex  
impositione prima, vi cuius  
non insinuat immediate natu-  
ram aliquam sub determinata  
ratione, proindeq; nec res se-  
cundùm quod inter se diffe-  
runt, sed prout inter se conve-  
niunt, atq; similia sunt; etiam  
huic voci conceptus unus for-  
malis respondebit, quâ signi-  
ficatum illud immediatum &  
adæquatum intellectui repræ-  
sentetur. Et ita quidem En-  
tis conceptus formalis unus  
est, ut, licet secundum nume-  
rum in diversis subjectis, vel  
etiam in eodē diversis tempo-  
ribus, aut æqualiter, aut secun-  
dum magis minusq; claram  
apprehensionem, multiplice-  
tur, non possit esse plures se-  
cundum habitudinem ad ob-  
jecta magis determinata: quip-  
pe cum descenditur ad ea,  
multiplicantur conceptus for-  
males ipsarum naturarum par-  
ticularium, & non conceptus  
Entis ut sic.

§. 6. IV. *Entis Conceptus Formalis est Unus Re.* Patet. Unitas rei singularis est realis. Atqui conceptus Entis formalis est vera qualitas singularis, inexistentis intellectui concipi-entis, cui per modum imaginis expressæ repræsentat Ens ob-jectum. Ideo realis etiam erit tum ipse, tum unitas ejus.

§. 7. II. quoad Præcisiō-nem; ea dicit secretionem, per simplicem intellectū; ap-prehensionem, ita factam, ut unō cognitō, non cognoscatur aliud. Estq; vel *Rei*, quā quid ante mentis operationem, ex parte sui, diversum est ac di-stantum ab iis à quibus abstra-hitur: vel *Rationis*, quā solūm intellectus, ob imbecillitatem suam, in apprehendendo ceu distincta sumit, quæ penes se sunt indivisa. *Conceptus ergo Præcisus* dicitur, qui distinctus ab aliis, nil eorum includit, à quibus abstrahitur; siue quoad rem, siue tantūm quoad mo-dum appræhendendi nostrum, qui non semper adæquatus est ipsis rebus, attamen propterea non statim falsus. Hisce præ-cognitis sint iterum Assertio-nes:

§. 8. I. *Entis Conceptus*

*Objectivus est ab inferioribus præ-cisus.* Patet experienciâ; nam Ens concipiendo non appre-hendimus determinatè sub-stantiam aut accidens, aut ali-am quamcunq; naturam con-tractam: sed aliquid omnibus naturis particularibus reverâ commune, quod similitudi-nem & convenientiam in Es-sendo nuncupamus. Imò si non esset præcitus, non esset u-nus: nec in inferiora dividī pos-set; utpote quæ jam in se con-tineret.

§. 9. II. *Entis Conceptus Objectivus est præcitus non re, sed Ratione.* Quod præcitus sit, i non re; vel eo patet, quod in Deo propter summam sim-plicitatem ejus à propria natu-ra Dei neutquam Ens realiter præscindatur. Quicquid au-tem enti quā sic convenit, illud etiam debetur omni, quod sub ente datur. 1. sed ratione; patet, quia quod præcimum est, & ta-men non realiter, id præcimum est ratione: nam medium nullum h̄c obtinet; & quæ sicut in distinctione.

§. 10. III. *Entis Conceptus Formalis est ab aliis concepti-bus formalibus suorum inferiorum præcitus.* Patet: nam intelle-ctus

Etus noster format ideam Entis in genere, non attingendo distincte proprias inferiorum rationes quidditativas; ut experientia testatur. Et alias semper in se distincti conceptus formales adaptantur distinctis objectis cognoscendis, ut distincta fiat cognitio.

§. II. IV. *Entis Conceptus Formalis est præcisus secundum rem.* Patet; quia gaudet unitate reali: gaudebit ergo simili præcisione; quandoquidem unitas sequitur præcisionem, ut causam. Unde si præciso non est realis, nec unitas realis esse potest; & vicissim. Quid, quod intellectus noster, si, propter imperfectum & inadæquatum modum concipiendi suum, etiam ea dividit, quæ non sunt in se distincta, semper alias, conceptus realiter distinctos formet; quomodo conceptus veritatis, justitiae, misericordiae divinæ realiter in nobis sunt præcisi, licet attributa DEI secundum se non distingvuntur. Quoniam ergo conceptus Entis ut sic in repræsentando præscindit à propria ratione substantiæ qua sic, accidentis, & omnium aliarum rerum particularium, etiam idea quæ-

menti sistitur objectiva ratio quidditatis in communi, realiter à conceptibus propriis eorumdem distincta formabitur.

S. 12. Manifestum est inde, quod conceptus Entis, tam objectivus, quam formalis, non implicet *plura:* quæ sint; seu *disjunctive,* Substantia V E L Accidens, ut sic: hoc n. & experientiæ reclamat, & univocationem infert, juxta Svarezium D. 2. s. 2. n. 9. Seu *copulative,* Substantia ET Accidens, ut sic: alias prædicationes in quibus Ens inferioribus suis attribuitur, essent non tantum navigatoriæ, sed etiam falsæ, quodvis n. particulare simul substantialem & accidentalem quidditatem contineret; quod absurdum est. Seu *simpliciter,* & sine disjunctione, vel copulatione, Substantia-Accidens, utramq; naturam continendo vel formaliter, quippe contradicit iterum experientia; nam ubi vocem Ens audis, id præcise concipis, quod est, non determinatè, quod est per se subsistens, in alio; vel eminenter, nam hic modus in universalis particularia secundum adæquatam formalitatem suam, propriasq; naturas distincte

L

etè

Etē concipiendi non cadit in intellectum humanum. Seu *substantia*, expresse, rationes a. accidentium, tanquam Entis analogata secundaria, confuse; nam experimur, sēpē nos evidenter scire quod aliquid verum Ens sit, & tamen adhuc dubitare, num substantia sit, an accidens: unde conceptus Entis conceptum substantiæ non includet; nec accidentis. Seu *omnes entitates simplices*, in quas proximè dividitur ens, tanquam in decem summa genera, prout tales sunt & inter se distingvuntur: nam hoc itidem experientia diluit. Imō difficilius adhuc est unō cognitionis actu tot naturas determinatas apprehendere, quam quidem tantum substantiam & accidens. Plura legantur apud Svarez D. 2. f. 1. z. 3.

§. 13. Neq; tamen hæc *Abstratio*, quam Ens habet, est per separativam exclusionem unius gradū ab alio; quippe conceptus Entis objectivus non est præcisus secundūm rē, ut ens divelli possit ab iis quæ sub ipso sunt, sed ipsum in modis suis contrahentibus, & in propriis rationibus omnium rerum essentialiter imbibitur:

verūm per præcisivā cognitionem, quā considerādo quidditatem non prout est in hac & illa re propria; sed juxta similitudinem, quam inter se res omnes sortiuntur, conceptus Entis ut sic habetur. Adeoq; concipiatur Ens non attendendo vel modos ejus contrahentes, vel ipsa particularia: licet ē converso nec modi contrahentes, nec ipsa particularia citra co-hibitionem entis veniāt, quippe quod propter transcendentiam suam in omni conceptu reali positivo latitat; ut ita locum hic inveniat *præcisio non mutua*, quā concipitur ens sine modis, & inferioribus suis, ast non vicissim.

§. 14. III. Quoad *Simplicitatem*; ea satis appareat ex præcisione: quoniam enim Ens nil eorum quod particularibus quocunq; modo proprium est includit; insuper etiam ab Ente simplicissimo præscindit; utiq; non potest non esse conceptus ejus in se summè simplex, à quo prorsus exulat omnis compositio. Præterea tandem in eo terminatur omnis resolutio, tanquam in extremo cognitionis fastigio, quod supra se nihil amplius habet;

bet, quô mens nostra concipi-  
endo satietur. Inde nec Defi-  
nitionem propriè dictam Ens  
admittit, sed solum descripti-  
ones; quæ videntur potius no-  
minis significationem distin-  
ctius declarare, quam ipsam.  
rationem quidditativam ulti-  
mate præcisam explicare.

§. 15. Convenit a. Enti Sim-  
plicitas, quæ compositionem non  
tantum ex his, sed etiam cum hū,  
nescit: quippe determinati  
conceptus Entis æquè simili-  
ces sunt, ac ipsum Ens; quod  
contrahitur non per modum  
compositionis, super additis  
differentiis, sed solum per mo-  
dum expressioris conceptio-  
nis, determinatius apprehen-  
dendo quidditatem hujus &  
illius sub Ente comprehensi.  
Proindeq; conceptus Substan-  
tiæ, Quantitatis, Qualitatis, &  
aliorum, non includit duos  
conceptus partiales, actu sepa-  
rables, sed qui tantum ratio-  
ne discriminantur, ceu confu-  
sus, quô determinatæ rationes  
essendi penes convenientiam  
atq; similitudinem quam inter  
se reapse fovent, percipiuntur;  
& magis expressus, quô conci-  
piuntur eadem secundum de-  
terminatum modum, cuique

proprium. Atq; sic in inferio-  
ribus Entis superior & inferi-  
us occurrit, non per additio-  
nem partis ad partem, sed per  
apprehensionem confusioris  
& expressioris naturæ. Própter  
ea quoq; *suprema genera primæ  
diversæ dicuntur*, quod non in-  
cludant determinatas diffe-  
rentias, quæ sint extra ratio-  
nem Entis, in quo confusæ  
conveniunt, sed seipsis diver-  
situdinem habeant in propiis &  
determinatis quidditatibus su-  
is. Hinc Conceptus Substan-  
tiæ qua sic, & in eo conceptus  
Perseitatis, objective non di-  
stingvuntur ut quod & quo; sic  
ut nec in Ente quod & quo  
differunt; sed tantum ex modo  
conciendi, quia mens nostra  
non potest explicare simplicia,  
nisi juxta modum composito-  
rum. Et propter eandem cau-  
sam non est Ens simplicius DE-  
O, quamvis in modo quo con-  
cipitur sit abstractius: quippe  
non apprehendimus infinita-  
tem, qnà limitatur Ens ad DE-  
um, tanquam modum addi-  
tum enti, sed solum ut expres-  
siorem rationem ejusdem Esse,  
quod DEO convenit. Confe-  
ratur Svarez D. 2. f. 2.

§. 16. IV. Quoad Analogiam

giam; hanc sustinet Ens per ordinem ad inferiora, proindeq; juxta conceptū potentiale, & statum Universalē, aptitudinem ejus inessendi suis inferioribus attendendo; quibus non solum quoad nomen, verū etiam secundūm Definitionē suam, Ens vere convenit, attamen ordine quōdam, & inæquali participatione. Nam non solum Substantia, sed etiā Accidens, & quæcunq; sub eo sunt, Ens appellantur, & essentiam habent; ut operationes, aliaque realis essentiæ documenta, quibus non destituuntur, satis arguunt.

§. 17. Est igitur hæc *Analogia*, non *proportionis*; ea namq; consistit in sola similitudine, quâ pluribus nomen est commune, sed ratio substantiæ secundūm nomen planè diversa: nec *denominationis* extrinsecæ; nam hæc consistit solum in respectu plurium ad unum, in quo solo quidditas aliqua formaliter inest: sed *attributionis* intrinsecæ; quâ secundūm nomen & definitionem aliquid

sese communicat inferioribus, & quidem per dependentiam unius participantis ab alio, sicquè secundūm prius & posterius. Etenim Ens formaliter inest tamen Accidenti, quam Substantiæ; sed tamen non æq; primò, cum ad accidens prius delabi non possit, quam data sit substantia, tanquam naturale fulcrum quō nitatur ac sustentetur accidens. Verū hæc in parte Speciali, ceu genuinâ sede, pleniūs exponentur.

§. 18. Interim hæc analogia nil præjudicat Unitati Conceptus Entis. Quanquam n. analogis secundūm extrinsecam denominationem unus conceptus haut respondeat, quia nullam inter se convenientiam naturæ formaliter habent, sed plura diversæ substantiæ significantur unâ voce, propter ordinem inter ipsas: tamen secus est in analogis secundūm intrinsecam attributionem, propter identitatem naturæ, quam formaliter, utut ordine quodam, includunt.

### MEMBRUM III. De ENTE, quoad Oppositum, NON-ENS.

Cap.

## Cap. I. De Descriptione NON-ENTIS.

Non-Ens est quod non habet Essentiam,

## EXPLICATIO.

§. 1. Tandem ad Non-Ens devenimus, ut adhuc aliquo modō cognoscatur Ens ex Opposito suo. Sunt a. & hīc duo potissimum excutienda; nempe Non-Entis partim Descriptio, partim Distributio. Circa Descriptionem verò distinctè tum Descriptum, tum Descriptionem ipsam perpendemus.

§. 2. Et quidem Descriptum est Non-Ens; cuius notanda 1. Derivatio; quā conflatur ex particula N O N, & E N S. Estq; prior vox hoc in loco non infinitans, sed negans: quippe Non-Ens opponitur Enti contradictoriē. Non potest ergo materialiter alia supposita, præter Ens, connotare; quod alias terminus infinitus facit, utpote qui de formalis sic negat, ut interim significet indeterminate quodvis aliud præter id quod voce finita significatur. Hinc pleriq; negant quod Ens in omni latitudine sua sumptum, & contra Nihil adæquate diuisum, infinitari queat.

§. 3. II. *Æquivocatio*; qua Non-Ens significat complexē, propositionem falsam; sive necessariō, sive contingenter: incomplexē verò, partim comparative, tum id quod nondum est actu, sed in potentia; tum id quod nondum est absolutū, sed adhuc in fieri; tum id quod non est aeternum ac immutabile, sed in tempore productum, & mutationi subiectum; tum id quod habet esse diminutum, & ignobilis aliō: partim absolute, quicquid rationem essendi simpliter excludit, adeoq; nec est, nec esse potest. Unde non difficulter intelligis, quomodo nonnunquam *Accidentia*, *Materia*, *Creaturæ*, Non-Ens appellantur; nempe non *ἀτόμος*, sed *πᾶς*, nimirum Accidens respectu Substantiæ, Materia respectu Formæ, totiusq; compositi; *Creatura* respectu Dei; propter ignobilis Esse.

§. 4. III. *Æquivalens appellatio*; quā Non-Ens græcis vocatur *μη ὄν*: latinis *non - Ali-*  
L 3 *quid*,

*quid, & Nihil.* Hoc a. dicitur tanquam *Nihilum*; atq; significat vel idem quod *infructuosum* & *inutile*; quomodo dici-  
mus, doctrina de *Nihilo* non est  
de *nihilo*: vel idem quod *Non-*  
*ens*; ac despisci potest *innihil*(1)  
*Indispositionis*, quod quiddita-  
tem habet, sed ex se prorsus  
*inhabilem* ad id quod ex ipso  
producitur; ex quali *nihilo*  
*creatio mediata processit.* (2)  
*Privationis*, quod est absentia  
formæ, præsertim naturalis, per  
generationem in materiam in-  
ducendæ. (3) *Pura Negationis*,  
quod prorsus omni quidditate  
destituitur; quomodo *creatio-*  
*nenim immediatam ex nihilo fi-*  
*eri novimus.*

§ 5. Insuper etiam ad Non-  
Ens æquipollit *Impossibile*. Di-  
citur n. *Ens Impossibile* quod  
habet repugnantiam ad esse  
per aliquam potentiam, aut fi-  
nitam, aut infinitam. Includit  
ergo suā naturā contradic-  
tionem ad *Esse*. Peccant inde qui  
passionem Entis disjunctam  
*Impossibile* comminiscuntur,  
oppositam possibili. Non n. di-  
cit ens sub inadæquato conce-  
ptu, quod in entis affectione  
quacunq; requiritur; sed est se-  
cundūm se totum pura negati-

o, removens esse, tam actum,  
quam potentiam existendi ne-  
gando.

§. 6. *Descriptio Non-Entis*,  
nomine magis quam re talis;  
formatur proportionaliter ad  
*Descriptionem Entis*. In eaq; i.  
*Verbum EST latissimō signifi-*  
*catus propositionis veritatem,*  
non aliquam entitatem innuit.  
II. *Pronomen QUOD* itidem  
non quidditatem, sed tantum  
relationem ad *descriptum insi-*  
*nuat*. III. *NON HABERE*  
*ESSENTIAM quadrupliciter*  
explicari potest; i. per ordi-  
nem ad *Affectionem*. Atq; sic es-  
sentiam non habere significat  
idem quod nullum attributum  
sustinere; secundum illud: *Non-*  
*Entis nullæ sunt qualitates*. Scili-  
cet citra cogitationem intelle-  
ctus, ei reapse competentes.  
Hinc etiam *Non-Ens*, quæ tale,  
non est sensibile, vel intelligi-  
bile, vel appetibile. 2 Per or-  
dinem ad *Operationem*. Atq;  
sic essentiam non habere signi-  
ficat idem quod non influere  
causaliter; secundum illud: *non-*  
*ētū nullæ sūt operationes*. Scilicet  
directæ; nam indirectis, quæ  
sequuntur ad absentiam alicu-  
jus entis, non omnino destrui-  
tur. Unde sequitur, quod *Non-*  
Ens

Ens in specie nec Finis, nec Materiæ rationem ferre possit. Omnis n. causa positivum influxum præstare debet, sibi proportionatum. Consequenter ergo, creationem ex nihilo fieri dicimus, solum ut termino, non ut subiecto; saltem physico. 3. per ordinem ad Definitionem. Atq; sic essentiam non habere significat idem quod involve-re repugnantiam ad existendum. Hinc & talis descriptio formari potest: *Non-Ens est quod repugnat existere.* Vel, quod nullam aptitudinem ad existendum habet; adeoq; nec est, nec esse potest.

cari. Quod n. quidditatem in se tollit, etiam quidditatis nullam explicationem admittit. 4. per ordinem ad Negationem. Atq; sic essentiam non habere significat idem quod involve-re repugnantiam ad existendum. Hinc & talis descriptio formari potest: *Non-Ens est quod repugnat existere.* Vel, quod nullam aptitudinem ad existendum habet; adeoq; nec est, nec esse potest.

## CAP. II. De Distributione NON-ENTIS.

*Non-Ens est vel purè Negativū, vel Privativum.*

### EXPLICATIO.

§. 1. *Non-Ens purè Negativum* est, quod omnino nihil est, quomodo cunq; consideretur. Vocatur etiam *Non-Ens Metaphysicum, Non-Ens simpliciter, & Nihil Negativum*; quippe quod ut in se planè nihil est, ita quoq; nullum ad aliud respectum involvit, nec ullum subiectum denominat. Quamobrem etiam *Non-Ens malignum* nuncupatur, quod entitatem undiquaq; destruat, ejusq; defectum, sine respectu capacis subiecti cui tribuatur, inferat.

§. 2. *Non-Ens Privativum* est,

quod respectu formæ nihil est; sed respectu subiecti quandam entitatem habet. Appellatur etiam *Nihil Privativum, & Non-Ens quodammodo*; quia Privatio dicit absentiam habitus in determinato subiecto, quod tanquam sibi naturale, semper connotat, ut ita non inconcinnè *Non-Ens in Ente* dici possit. Estq; vel *Physicum*, quod rebus in se principium motus & quietis habentibus præter naturam convenit; ut morbus, mors: vel *Ethicum*, quod in mores cadit; ut vitiū, aut peccatū.

§. EST

§. 3. Est a. non-entis privati-  
vi quasi forma *Privatio*; non A-  
ctiva, quā notatur actio causæ  
privantis: sed *Passiva*, quæ ni-  
hil aliud quām actionis priva-  
tis in subiecto capaci receptio.  
Quæ vel *Physica*, notans absen-  
tiam formæ substantialis in  
materia futuræ: vel *Logica*, de-  
signans carentiam formæ cu-  
jusq; quæ fuit, aut saltem esse  
debuit, in certo subiecto. Estq;  
vel *Extrinsica*, rei circumstantis  
aut adjacentis, quæ naturalem  
perfectionem non concernit,  
ut paupertas, nuditas; item cœ-  
libatus, viduatus, quippe ma-  
ritum aut conjugem esse, non  
simpliciter naturale, sed advé-  
titum est: vel *Intrinsica*, rei sub-  
iecto naturaliter debitæ, quā  
sublatâ perfectione naturalis la-  
befactatur; & est aut *Partialis*  
ac imperfecta, quā relictâ po-  
tentia solum actus defit, ut te-  
nebræ nocturnæ, somnus: aut  
*Totalis* & perfecta, qua cum a-  
etu simul *potentia* perit; non  
quidem prima, proximè fluens  
à forma, nam hæc à subiecto  
citra destructionem ejus tolli  
nequit, sed *secunda*, consistens  
in organorum dispositione, v.  
gr. Cæcitas absolute non tollit  
visibilitatem, quæ tanquam.

proprietas ab anima sensitiva  
proximè dimanat, ea namque  
remanet etiam in eo qui cœcus  
nascitur: sed eam qvæ de-  
pendet à certa nervorum  
opticorum ac humorum in o-  
culo constitutione. Nec ab hac  
regressus ad habitum datur  
naturaliter; estq; præter, imò  
contra naturam, quam muti-  
lat. Quæ rursus vel *Simplex*,  
consistens in mera carentia:  
vel *Coniuncta* cum contraria  
forma, quam Habitualē vocat;  
ut morbus, item ex communi  
sententia, peccatum originis.

§. 4. Cæterū Non-Ens Ne-  
gativum & Privativum, ut in rebg  
sunt, conveniunt in eo, quod u-  
trūq; i. dicat de formalī nega-  
tionē positivi. 2. sit extremum  
realis oppositionis, in ipsis rebg  
inventæ. 3. possit habere funda-  
mentum in re, ratione cuius  
ipsi verè convenit. 4. possit de-  
re, sine fictione mentis, verè  
prædicari. 5. possit solum in-  
directè per speciem oppositæ  
formæ cognosci; partim divi-  
dendo, partim cōponēdo. Dif-  
ferunt a. quod Negatio notet  
carentiā præcisè; Privatio de-  
terminatū subiectū, & in eo ca-  
pacitatem connotando. Le-  
gatur Suarez D. 54 l. 5.



Politissimo Dn. Respondenti.

**D**iscutiat multos ENTIS CONCEPTUS; babetq;  
NON-ENS difficiles, nec sine laude, plicas.  
Has dissolve mihi; non ride: qui Sapientis  
Cum re praclarum nomen habere cupis.  
Scilicet hunc ENTIS CONCEPTUM combibit omnis  
Notio, quam formas, ceu rationis opus.  
Hanc ergo nunquam plenè cognoveris, ille  
Ni tibi sit notus cognitionis apex.  
Tum quoquè de NIHIL non est, sed res bene magna  
De NIHIL docti differuisse modis.  
Ex quo, quicquid habet quod sit, manavit; & in quod,  
Mox iterum, quicquid desinit esse, fluit.  
Id bene perpendi mecum, Doctissime CZERNACK  
Det DEus ut labor hic Teq; Tuosq; beet!

M. Michael Eiflerus P. P.

Ad Præstantissimum & Literatissimum  
Dn. RESPONDENTEM, Fautorem & Amicum  
suum dilectum.

**C**armine vñ factum laudem? non indiga laudū  
Virtus, quæ propriâ fulgida luce satiſ.  
Fac, doctâ madeat sic semper amystide pectus,  
Ambrosiâ tali vescere porro diu.  
Sic etenim poteris sœcluſ transcribere famam,  
Æternumq; tibi conciliare decus.

Honoris ergo l. mq; f.

M. Matthæus Rackschanus.

**A**ncepſ multorum violat dubitatio mentes  
Comprimit ingenioq; vigentes,  
Scilicet ut Sacras possint volitare per artes?  
Doctis atq; litare Camænus?  
Sed tamen in rebus Modus, ut pulcherrima Virtus  
Existit, quem nactus es arte.  
Hoc igitur CZERNACK modo, pridem tibi noto  
Jam clares, & cœpta subinde

Tetua

Te tua commendant! Laudes mirabitur etas  
Et veros sperabit honores.  
Sic igitur studiis perge exornare secundis  
Rostra, tibi sic laudibus artem  
Accumulaturus: Veniet tibi palma, reponet  
FATA DEUS sperata labori!

Literatissimo Dn. Respond. Populari suo  
per dilecto hæc apponere voluit  
Tobias Aichinger Poson. Ung. L. L. Stud.

**G**ratuler anne Tibi potius, charissime CZERNACK?  
Augurer aut Patria commoda multa solo?  
Ambiguo dubiae versor conamine mentis,  
Nam breve, quod tento scribere, tempus habet.  
Commoda sed Patriæ post hæc cecinisse juvabit;  
Nunc solum cœptis grator, Amice, Tuis.  
Prosperet utq; Tuos, vasti bonus Arbiter orbis,  
Conatus, animo Totius amante precor!  
Sic erit, ut multo quondam conamine vites  
Quas posuit Zolii noster Apollo, Novi,  
Non Patriæ Patres eludant vilibus herbis;  
Sed spe, quâ debent, divite vina, ferant.

Dn. Respondenti Amico fraterno  
amore conjuncto apposuit  
Adamus Kys Sarvarino - Ungarus  
Philos. Stud.

**N**on satis est Logicen, non Naturalia nosse,  
Prudentiam, Moralia?  
Ingenii magno Sophiae petis impiger Arcem  
Ausu, his studiū cupis decus.  
Laus surget Patriæ his studiis scepītag; nostro  
Pallas resurget in solo.

Dn. Respondenti Conterraneo & Commensali  
honorand: gratulabundus adjecit  
Paulus Lochmannus Ungarus.

Ung. VI 34



3

Slc.

V317





# Farbkarthe #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	Yellow	Green	Cyan	Blue	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22

UCE,  
LOSOPHICARUM  
IV.  
METAPHYSICÆ  
MENTIS,  
NON-ENS  
s.  
*d. h. III. 1572*  
Bregelanâ  
SIDIO  
CELLENTISSIMI  
LIS EIFLERI  
dinarii, & Alum-  
ctoris, Præceptoris  
um colendi  
ENS  
ERNACK  
*egarus*  
Veteris Collegij  
d. 30. April. horis  
ponit.

DONTI,  
REUSNERI,  
XLI.

*Ammano, Pest. Sentohysch.*

